ADDITAMENTA AD LOCOS QUOSDAM GRAMMATICÆ ZUMPTIANÆ.

Ne commemoremus maiora, quae hoc ipso tempore aut moliantur aut sperent quidam postulantes, ut ad utilitatem magis et praesentem et manifestam in puerili institutione vel eorum referantur omnia, qui aliquando, si non praefuturi singulis doctrinarum generibus, at certe functuri sint iis muneribus publicis, quae praeter plurimarum rerum cognitionem ex linguis veterum populorum discendis ultro nascentem praeterque ingenium ad ceteras disciplinas recte tractandas mature quasi corroboratum, mentem eruditione quadam subtiliore et exercitatione assidua per omnes partes excitatam, conformatam, perpolitam haud sane minus requirant, quam summa illa: hoc unum omnium maxime nunc enituntur multi, ut abiicienda, removenda, exterminanda esse demonstrent, quae in scholarum publicarum disciplina ad percipiendam atque penitus cognoscendam Latinae linguae indolem ac praestantiam plurimum valere fere visa sunt. Obsoletam enim illam Latine scribendi consuetudinem vociferantur esse, laborem operosum et molestum pueris et adolescentulis iniungi clamitant, quo aut parum aut nihil proficiatur. Qui quamvis vel eo in levitatis quandam suspicionem vocentur, quod ipsi fere minime aut cognitione et scientia attigerunt aut usu et tractatione amplexi sunt illud, quod exagitant, tamen non omnino negligendi atque contemnendi sunt, siquidem certe aliquid haerere solet ex iis, quibus quis petitus fuerit verborum calumniis quamvis inanibus, nisi diligenter illae repellantur. At vix est, quod ego nunc docere meliora coner eos, qui ut obmutescerent, adhuc ne eruditissimi quidem et prudentissimi viri, veriora illi de hac re in medium proferentes, potuerint argumentorum suorum gravitate efficere. Illud hoc loco defendam, si quid novi commendatum fuerit nuper ad illas exercitationes Latine scribendi adiuvandas, hoc non ita factum esse videri, ut iudicari possit ea res adminiculis quibusdam sustentanda esse, quae se ipsa iam non possit sustinere; sed hoc reputandum est potius, in nostra quidem patria iam diu imprimis artium optimarum et doctrinarum studiis florente nihil unquam neglectum esse, quicquid egregii aut recens excogitatum aut diligentius consideratum et pertractatum affer-

retur ad institutiones, quae illuc quidem pertinerent, multorum annorum usu et consuetudine comprobatas vel stabiliendas vel ornandas. — Quare ne illos quidem si qui fuerint questi, quod non plus in facultate Latine scribendi consequerentur ii, qui tantum temporis illis impenderent, cupide auditos caussam attulisse putes, cur ratio et via, qua utimur fere in tradenda arte et doctrina Latine scribendi his ipsis diebus aliquo modo, non immutanda, sed ex aliqua parte novo subsidio ornanda videretur; — memoriae praesidium dico in illa disciplina iam planius ac distinctius commendatum. Illis enim, quibus haudquaquam sufficiat, quod nunc proficitur in illa, vereor ne ita demum aliquid videretur tribuendum esse, si satis eas caussas, quae extrinsecus, ex quo tempore maxime scholae nostrae effloruerunt, accesserunt ad remorandos in peculiari illo disciplinae genere atque impediendos progressus, considerasse possent existimari. Quae quidem caussae latius patere videntur, quam opinantur multi. — Primum enim non illud tantum computandum erat tempus, quod in ipsis scholis praesente et adiuvante praeceptore impenderetur in illas exercitationes sed etiam illud quantulum in privata industria et domestica superesset ex ceterarum disciplinarum tractatione, quae haud sane iam in exiguum gyrum nostra aetate compulsae, immo ita amplificatae et excultae atque tam eruditorum magistrorum curae et ipsae sunt commissae, ut in dies singulos etiam illarum studia plus operae requirant et ad maiorem diligentiam alliciant atque excitent. Quae quidem quanto magis novis incrementis sunt auctae, tanto plus scilicet vel in Gymnasiis surripere coeperunt quum discendis linguis veterum populorum in universum tum iis partibus, quae assidua exercitatione omnium maxime indigent. Sufficit commemorasse eam doctrinam, quam mathematici profitentur illique coniunctissimam artem et scientiam physicorum, historiam deinde naturalem, quam vocant, rerum gestarum denique cognitionem, quas omnes magis atque magis etiam nostra aetate summa sollertia et industria pervestigatas, explicatas explanatasque si quis nihil adhuc ad eos, quibus fere continetur Gymnasiorum disciplina, fines proferendos valuisse dicat, is profecto parum se nosse prodat nostrarum scholarum minime sane improbandam rationem atque institutionem [1]). Tum vero non solum numero erant anni, quot consumerentur in illa disciplina, sed quodammodo quasi pondere iudicandi. Nam si quis, quae pars fere aetatis collocetur in disciplinis Gymnasiorum tamquam procurationi commissis a pueris, priusquam aut corporis aut animi vi-

1) Non possum facere hoc loco, quin commemorem elegantissimam et eandem verissimam illarum rerum descriptionem, quae in oratione a Godofr. Hermanno post Chr. D. Beckii obitum habita legitur, qua ipsa id maxime agitur, ut demonstretur, quomodo sint ita coniungendae omnes doctrinae, mutuis illae vinculis colligatae, ut tamen unam quisque praecipue tractet.

res satis invaluerint, ita festinantibus ad litterarum studia altiora quaeque, ut vel legibus sanciendum fuerit, facile illud occurrit tempus, quod quamvis aptum iure dicatur ad rerum plurimarum cognitionem animo ac memoria amplectendam, tamen vix idem accommodatum existimetur, nisi quod aliquando prope immature magnum exstiterit ingenium, ad omnem indolem et ingentem illam ubertatem copiamque pernoscendam atque adeo elegantiam quandam Ciceronianam eius linguae assequendam, cuius nulla ne rudimenta quidem ab initio attulerint.

Nec vero in tanta discentium frequentia, qua etiam nunc multae scholae celebrantur, multo frequentiora item ingenia eximia exstiterint; immo in ipso tanto numero multos ad altiora studia aspirare putes haud nimis idoneos. Quae tamen multitudo rursus in illo doctrinae genere vel per se magis obest, quominus quod omnibus sufficiat discipuli consequantur, quam in reliquis. Nam in hoc quidem campo nemo nescit, maxime singulos suo quemque auxilio egere. Et quae plurimum illam scribendi facultatem adiuvent, loquendi exercitationes, iisdem paene rebus obnoxiae sunt, nisi quod accedit etiam illud, ut, qui linguam, qua sit in colloquendo utendum, non et ex lectione librorum optimorum et ex scriptura satis iam habeant cognitam, perverse loqui perverse loquendo facillime consequantur. Denique ne illud quidem parvi faciendum esse dicas, quod toties audiunt ac legunt vel ii, quibus discendum est, contemnenda esse et abiicienda illa, quae ultro multis propter difficultatem, sine qua nihil, ne in litteris quidem, magni acquiritur, haud nimis placent. Arripiunt facile, nisi qui rei singulari quodam amore occupati sunt, excusationes inertiae cuiusdam satis speciosas. Quare illud etiam prope mirandum videtur, quomodo fiat, ut certe aliqua pars eorum adolescentulorum, qui in Academias proficiscuntur, sive ingenio sive industria insigni illam tantam rerum discendarum varietatem et copiam aliquo modo pertractatam habent, subito ac brevi tempore, quo etiam de materia scribendi est meditandum, scriptiones satis pure et emendate atque adeo, quod sane paucioribus contingit, eleganter compositas exhibeant. Illis tamen caussis, quibus aliae possunt addi, ex cuiusque scholae peculiari ratione atque institutione pendentes, quod fieri possit, ut multorum discipulorum certe retardentur in eo, de quo agitur, studiorum genere progressus, alio subsidio et ornamento, ut compensetur aliquo modo quod videatur ex illis impedimentis nasci incommodi, illa disciplina existimatur adiuvanda. Atque illud valiturum esse plurimum, usus iam ipse quodammodo comprobavit, si quidem multi discentium possunt documento esse, quorum ut quisque plurimam operam dedit, ne quae semel edidicisset et memoriae mandasset ex optimorum scriptorum libris aut iacerent neglecta aut exciderent rursus, ita maximos progressus fecisse iis praeceptoribus est perspectus, qui nunquam illam neglexerunt viam ac rationem docendi.

Ex iis tamen, quae modo commemoravimus, quum tantus fructus fuerit perceptus, licet nulla certa per singulos annos partitione illud subsidium adhiberetur, quanto plus sperandum est de assidua et ad artem quandam redacta legibusque certioribus adstricta exercitatione, qua tantum abest ut longius tantum qui progressi fuerint, utantur, ut vix careant, qui primoribus labris gustarint linguae Latinae studium? — Quid? quod illud quoque plurimum proderit, quod apparatus locorum exquisiti et praestantissimis ex scriptoribus collecti iam non deerunt? Unum autem, quod possit maxime nocere, vix est quod moneam ne admittatur. Nemo enim profecto eorum, qui possunt iudicare de linguarum tradendarum ratione, ullam huius rei artem et doctrinam carere posse dicet grammaticorum praeceptione. — Quomodo enim praecepta, etiamsi locis quibusque ad ediscendum aptissimis contineantur et exemplis accommodatissimis fuerint illustrata, haerere velis in memoria, si rivulis sint diducta, non fontibus quibusdam numero paucis, si discerpta fuerint, quae vi ac similitudine inter se arcte cohaereant, si perturbata denique omnia fuerint ac praepostera? Quomodo, si, quae de temporum usu sunt praecipienda, commiscueris cum iis, quibus nominum structura nititur, si, quae de casus cuiusque vi et natura disputanda sunt, cum iis, quae de modorum ratione valent? Manebit igitur etiam in posterum sua grammaticae dignitas atque auctoritas. Unde iam aggredior ego quoque, non diffidens, me aliquid, quod usui sit Latinae linguae discendae studiosis, allaturum, ad grammaticae Zumptianae locos quosdam illustrandos, quem ad librum commendandum, satis quidem probatum longinqui temporis usu, si quicquam potuero adiuvare, non sane me poenitebit huius operae, quae, quum sero suscepta sit atque eo maxime tempore anni, quo in dies singulos augentur muneris scholastici occupationes, vix ea exsistere poterit, quae ab omni parte vel aequis iudicibus probetur.

Quodsi in eum campum nunc delatus sum, quem quidam plane contemnunt, syntaxin ornatam, quam dicunt, nemo arbitretur me nimium illis quasi elegantiarum collectionibus tribuere, quas debeat suppeditare lectio diligens librorum optimorum; at ne in his quidem non valeat multum ad tenendum, quicquid didiceris, si aliqua certe complexione singula inter se praecepta coniuncta proponantur, quae eadem aptis, quibus quicque illustretur, locis minime careant.

Iam ut praecipiamus quod non elegans tantum Latini sermonis consuetudo admittit vel commendat, sed usus paene dicendi postulat, §. 676. paucis verbis monendum fuisse existimes, *nullus* adiecticum vix adiungi iis nominibus, adiectivis quidem, quae numero plurali prolata saepissime, singulari nonnunquam pro substantivis usurpantur. In quo genere maxime commemoranda sunt nomina gentilia quae dicuntur, quibus plane adhaeret *nemo*. Cic. Or. pro. Planc. VIIII, 22. *Nemo Ar-*

pinas non Plancio studuit, *nemo Soranus, nemo Casinas, nemo Aquinas.* — Verr. II, II, 46, 113. Postremo estne hic (Sthenius), qui et animum in rempublicam habuit eiusmodi et tantum auctoritate apud suos cives potuit, ut perficeret in Sicilia solus, te praetore, quod non modo *Siculus nemo*, sed ne Sicilia quidem tota potuisset? — Liv. III, 60, 3. Hostes medium inter bina castra spatium acie instructa complebant; provocantibusque ad proelium responsum *Romanus nemo* reddebat. — VIII, 30, 3. Fabius, quum post profectionem dictatoris per exploratores comperisset, perinde omnia soluta apud hostes, ac si *nemo Romanus* in Samnio esset; seu ferox adolescens indignitate accensus, quod omnia in dictatore viderentur reposita esse, seu occasione bene gerendae rei inductus, exercitu instructo paratoque, profectus ad Imbrinium — acie cum Samnitibus conflixit [1]. —

Ac similiter iisdem nominibus Romani addebant extra negantem sententiam ea pronomina, quae prae se ferrent substantivorum quandam vim ac notionem. Caes. B. G. VIII, 48. Unum illud orat, ut timori suo concedatur, ne in conspectum veniat *cuiusquam Romani.* — Liv. XXV, 29, 2. Neque primo, inquit, Syracusani a vobis defecimus, sed Hieronymus, nequaquam tam in vos impius quam in nos; nec postea pacem tyranni caede compositam, *Syracusanus quisquam*, sed satellites regii Hippocrates et Epicydes, oppressis nobis hinc metu, hinc fraude, turbaverunt [2].

Quare facile etiam illud apparet, cur *homo* saepe adiiciatur. Cic. de Or. II, 18, 75. Quid enim aut arrogantius aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certasset, *Graecum hominem*, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare? — Brut. 85, 294. Quos enim ne e Graecis quidem quisquam imitari potest, iis tu comparas *hominem Tusculanum*, nondum suspicantem, quale esset copiose et ornate dicere. — Ep. ad Att. I, 16, 5. Quid, inquit, *homini Arpinati* cum caldis [3]? — quibus quidem locis, nisi cum contemtione quadam scriptor addere maluisset hominis significationem, certe pronomen *quisquam*, vel *quispiam*, vel *aliquis* adiungere debebat, quale est illud Cic. Or. 70, 232. Neque vero ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum et L. Mummium, qui rebus his urbem Italiamque omnem referserunt, ab *aliquo* video perfacile *Deliaco* aut *Syrio* potuisse supe-

1) Cf. XXIII, 8, 5; XXVII, 5, 4; XXVIII, 38, 3.

2) Cf. Liv. XXX, 12, 14.

3) Cf. Tusc. Disp. V, 23, 66; De Legg. I, 1, 4; De Nat. Deo. I, 33, 191; De Fat. 2, 4; De Sen. 4, 12; Liv. VIII, 5, 7.

rari? — et de Or. I, 22, 104. Quodsi te, Cotta, arbitrarer, aut te, Sulpici, de iis rebus audire velle, adduxissem huc *Graecum aliquem*, qui vos istiusmodi disputationibus delectaret; quod ne nunc quidem difficile factu est. — et Caes. B. G. V, 51. — praeconibusque circummissis pronuntiari iubent, seu *quis Gallus*, seu *quis Romanus* velit ante horam tertiam ad se transire, sine periculo licere. —

Contra cum reliquis item adiectivis *nullus* et *ullus* saepe coniunguntur, quae per se sola tantum pro substantivis poni, concludas ex locis apud Zumptium allatis. Nam plerumque sane, ut his exemplis utar, scriptum invenias: *Nemo plebeius* vel *patricius*, ut Liv. IIII, 6, 2. Ut fortasse vere, sic parum utiliter in praesens certamen respondit, quod *nemo plebeius* auspicia haberet[1]); *Nemo mortalis*, ut Cic. de Rep. II, 10, 17. Ac Romulus, quum septem et triginta regnavisset annos, et haec egregia duo firmamenta reipublicae peperisset, auspicia et senatum, tantum est consecutus, ut, quum subito sole obscurato non comparuisset, Deorum in numero collocatus putaretur: quam opinionem *nemo* unquam *mortalis* assequi potuit sine eximia virtutis gloria[2]); *nemo beatus*, ut Cic. de Fin. V, 28, 84. Paupertas si malum est, mendicus esse *beatus nemo* potest; *nemo alius*, ut Cic. Brut. 88, 302. Attuleratque (Hortensius) minime vulgare genus dicendi, duas quidem res, quas *nemo alius*, partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones, memor et quae essent dicta contra, quaeque ipse dixisset[3]); *Nemo adolescens*, ut Cic. de Or. I, 4, 14. Nam posteaquam, imperio omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmavit, *nemo* fere laudis cupidus *adolescens* non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit; — et similia[4]), quibus addi nolim ea, ubi adiectivum, quod est adiunctum, aliquo modo ad attributum pertinet, ut Cic. Brut. 33, 126. Utinam non tam fratri pietatem, quam patriae praestare voluisset (C. Grachus)! Quam ille facile tali ingenio, diutius si vixisset, vel paternam esset, vel avitam gloriam consecutus! Eloquentia quidem nescio, an *habuisset parem* neminem; — ib. 57, 207. His (Cottae et Sulpicio) duobus eiusdem aetatis *annumerabatur* nemo *tertius*[5]); quo etiam referri possunt multi ex iis locis, ubi meris substantivis *nemo* coniunctum est, ut Cic. De Or. II, 46, 194. Saepe enim audivi, poëtam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse et sine quodam afflatu quasi furoris; — Ep. ad Att. XIIII, 20 2. Nemo unquam neque poë-

1) Cf. IIII, 4, 8. 2) Cf. Tusc. Disp. III, 25, 59; Lael. 5, 18.

3) Cf. de Inv. II, 7, 24; Brut. 87, 298; Or. pro Mil. 17, 46; Ep. ad Att. XI, 9, 3; Liv. XXIII, 43, 14; XXXVII, 48, 7; XXXXII, 60, 6; Ter. Ad. III, 2, 55.

4) Cf. de Or. I, 59, 251.

5) Cf. Brut. 43, 159; Ep. ad Fam. II, 18; — Liv. III, 45, 2; XXXXII, 13, 10; XXXXIII, 10, (12,) 5.

ta, neque orator fuit, qui quemquam meliorem quam se arbitraretur[1]); — scriptum item ab altera parte invenias: *plebeius quisquam* vel *patricius*, ut Liv. V, 2, 10. Antea trina loca cum contentione summa patricios explere solitos; nunc iam octoiuges ad imperia obtinenda ire; et ne in turba quidem haerere *plebeium quemquam*, qui, si nihil aliud, admoneat collegas, liberos et cives eorum, non servos militare, quos hieme saltem in domos ac tecta reduci oporteat; — *alius quisquam*, Liv. XXX, 20, 7. Raro *quemquam alium* patriam exilii caussa relinquentem magis moestum abisse ferunt, quam Hannibalem hostium terra excedentem[2]); — *alter quisquam*, Plaut. Asin. II, 4, 85. Neque me Athenis est alter hodie quisquam cui etc.[3]); et similia[4]); *homo plebeius*, ut Liv. VI, 36, 11; *homo adolescens*, Ep. ad Fam. II, 15, 4. *hominem adolescentem* non tam allicere volui, quam alienare nolui: tamen cum iisdem adiectivis coniuncta reperias haud sane raro etiam *nullus* et *ullus*; Liv. IIII, 25, 10. queri (principes plebis) se a plebe adeo spretos, ut, quum per annos tribuni militum consulari potestate creentur, *nulli* unquam *plebeio* ad eum honorem aditus fuerit[5]); XXX, 23, 4. *nullius alterius* consilio, quam Scipionis, accipiendam abnuendamque pacem esse[6]); XXXX, 34, 11. *Nulli alii*, quam consulibus, senatum crediturum esse, sincera fide in pace Ligures esse; — V, 2, 9. Non fuisse ne in octo quidem tribunis militum locum *ulli plebeio*; — XXI, 13, 3. Vestra autem caussa me, nec *ullius alterius*, loqui vel ea fides sit, quod neque, dum vestris viribus restitistis, neque, dum auxilia ab Romanis sperastis, pacis unquam apud vos mentionem feci[7]).

Atque illorum adiectivorum hoc pro *quisquam*, praeterquam quod numero plurali et gen. fem. nom., acc., abl. num. sing. in eius locum succedit, num. sing. ablat. potissimum eo, quem vocant absolutum, cum particip. praesertim praes. coniungi (Liv. V, 40, 4. magna pars tamen earum in arcem suos prosecutae sunt,

---

1) Cf. Liv. III, 66, 5 nemo vindex occurrebat; Cic. De Or. I, 28, 129; Tusc. Disp. V, 22, 63; De Off. III, 2, 10.

2) Cf. XXXVIII, 50, 10; Cic. Brut. 33, 126; De Fin. V, 28, 83

3) Cf. Ant. II, 2, 29.

4) Cf. Cic. Ep. ad Fam. XI, 28, 1, boni cuiusquam; Tusc. Disp I, 41, 99, cuiquam bono; Ep. ad Att XI, 1, quemquam bonum; Par. I, 1, 7, cuiquam malo; de Fin. I, 18, 59, quisquam stultus; Tusc. Disp. III, 4, 9, stultum quemquam; V, 39, 114 cuiquam docto; Brut. 16, 61, qu. antiquiorem; Liv. XXIIII, 30, 4 qu. puberem.

5) Cic. Ep. ad Att. I, 18, 2. nullius amantis consilio. 6) Cf. XXII, 14, 4.

7) Cf. Cic. De Nat. Deo. III, 2, 5 ullius unquam oratio aut docti aut indocti; De Div. II, 59, 122 ulli insani; Liv. XXXI, 11, 14.

nec *prohibente ullo*, nec vocante), illud, cui item cedit num. plur. *nemo*, pro *neminis* [1]) et ablat. rursus potissimum absol. pro *nemine* usurpari [2]) accuratissime docuit Fred. Haase in eo, quem nuper foras dedit, libro: Professor K. Reisigs Vorlesungen über latein. Sprachwissenschaft N. 361. — Restat denique illud, ut moneatur, scriptores probatissimos *nemo* et *quisquam* usurpasse, ubi ita, ut partem aliquam designarent cum genitivo vel cum iis, quae vi ac potestate cognatae sunt, locutionibus illa coniunxerunt; ac non tantum, ubi adhaerescunt illa adiectivis, consuerant ita scribere, ut Liv. XXVIII, 25, 5. Volucres ad terram delapsas clamore militum, ait, tantamque multitudinem conscendisse naves, ut *nemo mortalium* aut in Italia aut in Sicilia relinqui videretur [3]); sed etiam, ubi pronominibus [4]), atque adeo ubi iis, quae plane sunt substantiva [5]); quibus quidem numero vix possunt comparari loci in hoc genere aliter se habentes, Liv. XXIII, 10, 7, nulli Campanorum; XXXIIII, 35, 9. Ne quam societatem cum ullo Cretensium

---

1) Cf. loc. apud Zumptium all.

2) Nullo defendente Caes. B. C. III, 68; B. G. III, 38; nullo docente Cic. De Legg. I, 7, 27; n. referente Brut. 88, 301.

3) Cf. Liv. XXIIII, 5, 14 consciorum n.; XXII, 5, 8 n. pugnantium; XXIIII, 3, 11, XXVI, 42, 5, XXVIIII, 10, 3, XXX, 23, 4, Cic. de Or. II, 28, 122 n. omnium; De Legg. III, 10, 24, n. e decem; Liv. VIIII, 18, 7 n. ex tot proceribus Romanis; Cic. Brut. 93, 320 ex consularibus n. — Sall. Cat. 51, 11. Neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur; Cic. pro Q. Rosc. Com. 6, 18 quisquam o. martalium; De Fin. I, 18, 61, stultorum quisquam; Tusc. Disp. I, 36, 87 mortuorum quisquam; De Legg. I, 2, 7, quemquam de Graecis.

4) Cic. de Fin. II, 17, 55, de Or. I, 48, 209, Liv. XXII, 59, 1 n. nostrum; Liv. XXI, 43, 17, XXXII, 21, 2, XXXXIIII, 38, 5, n. vestrum; Cic. de Off. III, 4, 16 n. horum; de Or. III, 18, 65 n. illorum; de Fin. I, 18, 59, Tusc. Disp. V, 31, 87, Brut. 49, 181, Liv. XXIIII, 20, 14, XXV, 6, 16, XXVI, 2, 11, ib. 34, 7, XXXVII, 9, 10, XXXXII, 36, 6, n eorum; Cic. de Or. I, 43, 191 n. de iis; Brut 58, 213, n. ex iis; Tusc. Disp. II, 14, 34, de Fin. II, 17, 55, de Legg. I, 14, 40, Brut. 49, 181 et 93, 322, Or. Part 35, 119, Liv. III, 19, 3, quorum n.; — Cic. de Or. III, 4, 15 quisquam nostrum; Verr. I, 10, 29, de Or. III, 21, 78 vestrum qu.; ib. III, 49, 188 horum qu ; ib. 7, 26, Liv. III, 55, 8 eorum qu.; XXXXIII, 10, 3 ex iis qu.

5) Cic. De Or. II, 13, 55; n. nostrorum hominum; III, 21, 81, n. oratorum; de Rep. I, 31, 47 n. enim civium; Liv. XXIIII, 30, 7 n. aliorum militum; XXXXII, 31, 7 n. omnium imperatorum; XXIIII, 40, 9, XXVII, 2, 9, XXXIIII, 28, 6, XXXVIII, 20, 4 n. hostium; XXIII, 16, 1, XXXVII, 53, 9 et 15 n. sociorum; Cic. Brut. 63, 227 e reliquis patronis nemo; — De Or. III, 36, 147, Tusc. Disp V, 31, 89 qu. philosophorum; de Rep. III, 30, 42 Atticorum oratorum qu.; Cat. Mai. VII, 21 quemquam senum; Verr. II, IIII, 55, 123 qu. superiorum (tyrannorum); De Nat. Deo. III, 19, 50 qu. nobilium deorum; De Div. II, 9, 23 non modo amicorum sed ne servorum quidem qu.

aut quoquam alio institueret, neu bellum gereret; Tac. Germ. 43. nullo hostium sustinente. — quorum alter Livianus soni rationem habitam prae se fert, Tacitinus potius idem illud confirmat, quod observatum est supra, *nemine* spretum fuisse a scriptoribus optimis; — atque adeo ad dubiam lectionem, quae est Liv. XXIII, 4, 55 Romanorum *nullus*, si possit ferri nominativus pro *nemo* insolens, reiiciendam illa tot locis probata consuetudo valeat aliquid.

§. 677. *Quicquam* similiter invenitur dictum Cic. De Inv. II, 27, 81. ne hoc quidem ipso *quicquam* opus fuisse iudico. — Quo pertinet etiam illud, quod Ter. Andr. I, 1, 63 legitur: Comperiebam nihil ad Pamphilum *quicquam* (Chrysidem) attinere. — siquidem parum refert, quod *nihil* tantum hoc loco intenditur illo adiuncto.

§. 678. Addi fortasse nominibus illis, quibus periphrasis quaedam continetur, nisi mavis dicere, distinctius locutos esse Romanos, *fructus*. Cic. Ep. ad Fam. Ego te abfuisse tamdiu a nobis — dolui, quod carui fructu iucundissimae consuetudinis; De Or. I, 1, 2. Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas inter nosque recolendas. — ubi, quamquam altero loco consuetudo etiam ipsa interrupta, altero otium ne ipsum quidem concessum significatur, tamen quod frui illis cupiverit is, qui scribit, maxime fructum eorum se desiderasse prodit[1]).

§. 696. Desiderantur loci, ubi cum pronominibus possessivis ita, ut paene pro genitivo positum videatur, coniunctum est *ipse* nominativo casu vel accusativo, ubi verborum structura accus. cum infin. requirit. Nam quamquam *ipse* etiam genitivo illis adiunctum invenitur, ut Liv. I, 28, 4. Tum ita Tullus infit: Romani, si unquam ante alias ullo in bello fuit, quod primum Diis immortalibus gratias agere-tis, deinde vestrae ipsorum virtuti, hesternum id proelium fuit[2]); — tamen longe frequentiora sunt ea, quae generi illi priori annumerentur. Cic. Tusc. Disp. V, 4, 11. E quibus nos id potissimum consecuti sumus, quo Socratem usum arbitrabamur, ut *nostram ipsi* sententiam tegeremus (dass wir unsre eigne Ansicht verborgen hielten), errore alios levaremus; De Or. II, 2, 8. Nam si ex scriptis cognosci ipsi suis potuissent (Crassus et Antonius), minus fortasse mihi esse putassem laborandum. — quamquam etiam in his oppositionis quaedam ratio valuit, quae altero

1) Cf. Cic. Verr. I, 11, 33. Fructum istum laudis sqq.; Liv. XXXXV, 40, 2.

2) Cf. XXXXI, 23, 8. nostram ipsorum libertatem subrui et tentari patimur; X, 16, 4. Omnia expertos esse, si suismet ipsorum viribus tolerare tantam molem belli possent; XXVIII, 19, 10. suus ipsorum ex conscientia culpae metus.

loco ex *alios*, altero ex *mihi* pendet. Cui simile quid cadit in ea, quae leguntur De Or. I, 58, 247, ubi vel propter libros manu scriptos haud dubie hoc tenendum est: Tum autem, quod amore patriae censes nos nostrorum maiorum inventa nosse debere, non vides, veteres leges aut *ipsas sua* vetustate consenuisse, aut *novis legibus* esse sublatas? — quo loco novarum legum vis et effectus opponitur, non secus atque Ep. ad Fam. III, 1, 2. Cilix, libertus tuus — mirifice *ipse suo* sermone subsecutus est humanitatem litterarum tuarum. — argumentum litterarum respondet[1]). His addendi sunt ii loci, ubi pronominis possessivis suffixum est *met*, ut Cic. De Off. I, 32, 115. Ac duabus iis personis, quas supra dixi, tertia adiungitur, quam casus aliquis aut tempus imponit: quarta etiam, quam *nobismet ipsi* iudicio *nostro* accommodamus[2]). —

§. 698. *Nec ipse* in negante sententia similiter scriptum legitur Liv. XXIII, 18, 5. Ita primis repulsis Maharbal cum maiore robore virorum missus *nec ipse* eruptionem cohortium sustinuit; XXXVII, 20, 8. Et qui Pergami erant amentiam magis, quam audaciam credere esse; et hostes, paullisper in eos versi, *nec ipsi* quicquam ex solita negligentia, insuper etiam eludentes paucitatem, mutarunt.

§. 699. *Nec is* adiunctum habent *ipse* pronomen, ubi a re per se exigua descenditur ad maiorem eius vilitatem designandam; Cic. De Fin. V, 29, 88. Pauca enim *neque ea ipsa* (und auch diess nicht) enucleate ab hoc, de virtute quidem, dicta; Liv. VIII, 27, 4. eam solam gentem restare, *nec eam ipsam* satis validam, quando Lucanus defecerit.

---

1) Cf. Verr. II, I, 43, 112. quum tuam auctoritatem tute ipse edicto provinciali repudiabas; Or. pro Rosc. Am. 29, 79. ipsum sua manu fecisse; pro Coel. 19, 45. valet tamen ipsum suis viribus; Lael. I, 4. ipse mea legens; Cat. M 2, 3. ipse in suis libris; Ep. ad Fam. V, 12, 8. sua voce se ipsi; Liv. XXXVIII, 47, 7. ipse meis legatis; XXIIII, 38, 2. vestra ipsi virtute; I, 11, 9. sua ipsam peremtam mercede; II, 44, 2. suis ipsam viribus solvi; VII, 4, 3. sanguine ipse suo; XXI, 33, 3. suoque ipsum tumultu misceri; XXXVIIII, 49, 3. suo ipse casu.

2) Cf. Liv. VI, 36, 4. intra suamet ipsum moenia compulsum; VIII, 25, 6. capti a suismet ipsi praesidiis; XXII, 14, 13. classem impeditam suomet ipsam instrumento; ib. 19, 11. suomet ipsi tumultu turbati; Sall. Jug. 8. suamet ipsum pecunia praecipitem casurum; ib. 31 necesse est, suomet ipsi more praecipites eant; Catil. 23, 2. neque suamet ipse scelera occultare. — quibus locis, non tantum collocatione verborum a Ciceroniana consuetudine diversis, minus quidem facile, quam apud Ciceronem, illam oppositionis rationem, ad quam nominativus referatur, detexeris. Quamquam, quod maxime cum ablativo pronominum possessivorum coniunctum ipse invenitur, hoc, si plerosque locos allatos accuratius examinaveris, eo factum esse dicas, quod, quibus quicque ad efficiendum aliquid usum esset adiumentis instrumentisve suis ac propriis ita, ut aliena minime requirerentur, eorum vis ac significatio facile efferretur ea notione, qua ipse saepe cognatum est cum eo, quod sonant vel per se, sua sponte vel solus.

§. 707. *Aliquis* quoque, cui item *quasi* vel *tamquam* saepissime adiungitur, quum ad mitigandam metaphoram excusandamque locutionem minus propriam vel comparationem aliquam exprimendam frequentetur, certe nonnullis etiam illa locis illustranda fuerint. In promptu sunt haec: Cic. De N. D. II, 56, 167. Nemo igitur vir magnus *sine aliquo afflatu divino* fuit. — cui potest comparari illud, quod legitur De Or. II, 46, 194. Saepe enim audivi, poetam bonum neminem sine inflammatione animorum exsistere posse et *sine quodam afflatu* quasi furoris. Tusc. Disp. I, 22, 52. Nam corpus quidem quasi vas est aut *aliquod* animi receptaculum. Brut. 8, 34. Nam et aures ipsae, quid plenum, quid inane sit, iudicant et spiritu, *quasi* necessitate *aliqua*, verborum comprehensio terminatur; Acad. pr. II, 46, 140. Nam quae voluptate, *quasi* mercede *aliqua*, ad officium impellitur, ea non est virtus, sed fallax imitatio simulatioque virtutis [1]). — De Or. I, 46, 201. Nam ut in rerum privatarum caussis atque iudiciis depromenda saepe oratio est ex iure civili et idcirco, ut ante diximus, oratori iuris civilis scientia necessaria est, sic in caussis publicis iudiciorum, concionum, senatus, omnis haec et antiquitatis memoria et publici iuris auctoritas et regendae reipublicae ratio ac scientia, *tamquam aliqua* materies, iis oratoribus, qui versantur in republica, subiecta esse debet [2]). — *Tamquam* deinde et *quidam* coniuncta leguntur De Or. III, 43, 170. Ita fit, ut omnis singulorum verborum virtus atque laus tribus exsistat ex rebus: si aut vetustum verbum sit, quod tamen consuetudo ferre possit; aut factum, vel coniunctione vel novitate; in quo item est auribus consuetudinique parcendum; aut translatum, quod maxime *tamquam* stellis *quibusdam* notat et illuminat orationem [3]).

Ceterum quod *tamquam* in hoc genere fere nihil aliud valet, nisi hoc, ut attributum aliquod non minus ei rei, de qua ipsa agitur, quam alteri cuidam, quae comparatur, convenire significet, ac plerumque ita usurpatur, ut, quod ad unum ex duobus proprie pertinet, ad alterum facile subaudiendo referatur minus proprie, inde factum videtur, ut raro illud interponeretur inter *aliquis* vel *quidam* et ipsum substantivum, sicut Lael. 23, 88. Sic natura solitarium nihil amat semperque ad

---

1) Cf. De Or. I, 38, 177. ad aliquem quasi patronum; III, 44, 176. qu. certa a lege; ib. 52, 199. qu. colorem a.; Brut. 25, 83. qu. a. gestus orationis; Tusc. Disp III, 7, 5. qu. morsum a.; De Rep. I, 2, 2 qu. artem a.; De Legg. I, 24, 62 qu. sepimento a. Ep. ad Fam. IIII, 3, 7. qu. lumen a.; Verr. II, II, 3, 8. qu. a fato; de N. D. I, 11, 26. qu. animal a.

2) Cf. De Or I, 60, 255. t portum a.; II, 59, 240. t a. fabella; II, 80, 325 t. citharoedi prooemium affictum a.; III, 21, 81. t. pueriles delicias a.; Lael 7, 23. t. exemplar a.; De Div. II, 48, 100. t. oraculum a.; Cat M. 14, 49. t. pabulum a.

3) Cf. De Off. III, 9, 39. t tormenta qu.; Top. 4, 25. t. elementis qu.

aliquod tamquam adminiculum annititur, quod in amicissimo quoque dulcissimum est.—cui simile est hoc: Or. 23, 77. ille tamquam hiatus. — a quo usu *quasi* (ὡς εἰ) magis recedit [1]). In comparatione paullo minus exquisita etiam *sicut aliquis* coniuncta inveniuntur Cic. De Legg. I, 22, 59. Nam qui se ipse novit, primum aliquid se habere sentiet divinum ingeniumque in se suum, *sicut* simulacrum *aliquod*, dedicatum putabit [2]).

Poterat denique afferri locus, ubi cum adiectivis solis eadem vi coniunctum esset *quiddam*, quo sunt haec referenda Cic. De Or. III, 61, 227. Nam a principio clamare *agreste quiddam* est et idem illud ad firmandam est vocem salutare; Tusc. Disp. V, 41, 119. Quodsi ii philosophi, quorum ea sententia est, ut virtus per se ipsa nihil valeat omneque, quod honestum nos et laudabile esse dicimus, id illi *cassum quiddam* et inani vocis sono decoratum esse dicant, tamen semper beatum censent esse sapientem; quid tandem a Socrate et Platone, perfectis philosophis, faciendum putes? — ubi, quum attributo adiunctum sit *quiddam*, facile abesse potuit, quod additum praesertim altero loco notetur, quo idem verbum praecedens simpliciter adiuncta habet *honestum* et *laudabile* adiectiva [3]).

§. 723. *Quum-tum* particulae altero membro etiam illi, quod praecessit, cognatum vi ac potestate adiectivum superlativo elatum exhibent Cic. De Off. I, 34, 123. Luxuria vero, quum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. In Q. Caec. Div. 2, 36. Nam quum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima.— Idem adiectivum superlativo auctum cum *vel* particula subiicitur Or. pro Rosc. Am. 3, 8. Nonne quum multa indigna, tum vel (h. e. ut de aliis taceam) hoc indignissimum est, vos idoneos habitos, per quorum sententias iusque iurandum id assequantur, quod antea ipsi scelere et ferro assequi consuerunt?

§. 731. Contra *parum* pro sua vi ac potestate non subiici particulae *quam*, cui adiungitur potius *non*, paucis docendum fuisse putes. Cic. Or. pro Mil. 16, 43. Hunc diem igitur campi speratum atque exoptatum sibi proponens Milo, cruentis

---

1) Cf. cum iis, quae supra allata sunt ex De Or. I, 46, 201, haec: Est enim quaedam quasi materies subiecta honestati, quae maxime spectatur in amicitiis, Or. Part. 25, 88; Or. pro Planc. 6, 15 quodam quasi aestu; Tusc. Disp. I, 12, 27. qu. quasi migrationem; Acad. pr. II, 41, 127. naturale quoddam quasi pabulum. De Off. III, 19, 76. quod. quasi veneno.

2) Cf. ib. 23, 60 s. labem a. dedecoris.

3) Cf. De Off. I, 23, 81. immane quiddam.

manibus scelus et facinus prae se ferens et confitens, ad illa augusta centuriarum auspicia veniebat? *quam* hoc *non* credibile in hoc! *quam* idem in Clodio *non* dubitandum![1]). — In disiunctione sequitur *nec-nec;* Cic. Or. pro Mil. 5, 12. Quoties enim est illa caussa a nobis acta in senatu! quibus assensionibus universi ordinis! *quam nec* tacitis, *nec* occultis! — Gravius inde *nihil* subiicitur, quam *non;* De N. D. I, 35, 97. Ipsa vero *quam nihil* ad rem pertinet, quae vos delectat maxime, similitudo! De Fin. V, 27, 79. quam nihil curo (*ὡς οὐδὲν μέλει μοι*)![2]) — *nullus* denique, ubi cum substantivo cohaereat; Liv. XXXIII, 27, 7. Restitutis, confestim apparuit, quam nulla inita apud Boeotos gratia esset. — Nec vero magis dicitur *tam parum* sed *ita non;* Cic. Ep. ad Fam. VII, 1, 10. Non enim te puto Graecos aut Oscos ludos desiderare; praesertim cum Oscos ludos vel in senatu nostro spectare possis, Graecos *ita non* ames, ut ne ad villam quidem tuam via Graeca ire soleas; De Fin. II, 20, 63. Erat (Thorius Balbus, Lanuvinus) et cupidus voluptatum et cuiusvis generis eius intelligens et copiosus; *ita non* superstitiosus, ut illa plurima in sua patria et sacrificia et fana contemneret; *ita non* timidus ad mortem, ut in acie sit ob rem publicam interfectus[3]); — *usque eo non;* Tusc. Disp. III, 12, 27. Dionysius quidem tyrannus, Syracusis expulsus, Corinthi pueros docebat; *usque eo* imperio carere *non* poterat[4]); — *adeo non,* quod Livii maxime proprium est; VIII, 5, 7. Forte ita accidit, ut parem ferociae huius (Annii, Latinorum praetoris) et Romani consulem T. Manlium haberent; qui *adeo non* tenuit iram, ut, si tanta clementia Patres conscriptos cepisset, ut ab Setino homine leges acciperent, gladio cinctum in senatum venturum se esse palam diceret[5]); — *adeo haud;*

---

1) Cf. De Or. III, 26, 102. quam non actuose! Brut. 64, 228. quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis Latinis litteris illustratum; Tusc. Disp. II, 7, 17. quam hoc non curo! ib. 17, 39. vide quam non flebiliter respondeat! Ep. ad Fam. II, 10, 1. Tu vide, quam ad me litterae non perterantur; Liv. VII, 20, 1 quam non suarum virium ea dimicatio esset, cernebant; IIII, 24, 6 quam mihi non placeant diuturna imperia; XXXVIIII, 36, 1. quam non ex aequo disceptatio futura esset; XXXVIIII, 47, 6. Quam non ex aequo disceptatum foret; Hor. Serm I, 2, 19. Vix credere possis, quam sibi non sit amicus; De Or. III, 51, 197. Mirabile est, quum plurimum in faciendo intersit inter doctum et rudem, quam non multum differat in iudicando; Acad. pr. II, 42, 129. quam non multum a Platone (Herillus) dissenserit.

2) Cf. De Fin. I, 18, 57. quam nihil praetermittatur (wie wenig irgend etwas) —; Tusc. Disp. III, 35, 74. quam nihil sit omnino; Brut 76, 265. quam nihil non consideratum exibat ex ore! Liv. II, 54, 9. Praecipuus timor tribunos invaserat, quam nihil auxilii sacratae leges haberent, morte collegae monitos.

3) Cf. De Fin. II, 7, 22 ita mortem non timentes.

4) Cf. Or. pro Rosc. Am. 15, 45. usque eo, quid arguas, non habes, ut — .

5) Cf. XXIII, 38, 6. cui tamen adeo non succubuerunt, ut — ; XXX, 12, 21. adeo non dissimulavit — ut etiam —; XXX, 34, 5 adeo non — ut contra etiam — .

Liv. XXIII, 49, 10. *Adeo haud* dubia victoria fuit, ut plures numero, quam ipsi erant Romani, hostium occiderint; — in disiunctione *adeo nec — nec*; Liv. XXV, 17, 3. *adeo nec* locus, *nec* ratio mortis in viro tam claro (Ti. Sempronio Gracho) et insigni constat[1]); — *adeo nihil;* Liv. IIII, 31, 5. *Adeo,* simul fortuna civitatis virtute vera eguit, *nihil* censoria animadversio effecit, quominus regimen rerum ex notata indigne domo peteretur; III, 2, 6. Haec dicta *adeo nihil* moverunt quemquam, ut legati prope violati sint exercitusque in Algidum adversus Romanos missus[2]); — si quid, quod minus, quam alia, negari posse exspectaris, tamen negatur, *adeo ne — quidem;* Liv. XXV, 19, 17. sed *adeo ne* fugae *quidem* iter patuit, omnibus viis ab equite insessis, ut ex tanta multitudine vix mille evaserint; — *ita nullus,* Cic. Brut. 60, 217. memoria autem *ita* fuit (Curio) *nulla,* ut aliquoties, tria quum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quaereret; — *adeo nullus;* Liv. XXIII, 33, 6. *adeo,* etsi bellum ingens in cervicibus erat, *nullius* unquam terrarum rei cura Romanos, ne longinqua quidem, effugiebat[3]). Etiam gravius denique in eodem genere usurpabant: *Tantum abest, ut* —, de quo cf. §. 779.

§. 741. Ea potissimum afferenda fuisse videntur, quae usu quasi invaluerunt. Ex quo genere sunt haec: *Vis et arma,* maxime ablat. *vi et armis,* in qua quidem loquendi formula etiam illud maxime cernitur, altero substantivo certiorem contineri notionem et magis circumscriptam; Liv. I, 19, 1. Qui regno ita potitus, urbem novam, conditam *vi et armis*, iure eam legibusque ac moribus de integro condere parat[4]); — a quo plane differre, quod apud Ciceronem legitur, Or. pro Mil. c. 1, §. 2. *inter tantam vim armorum,* nihil est, quod moneam, siquidem his verbis oratorie multitudo *armatorum* describitur. — Adiungendi sunt ii loci, ubi universalis notio, quae subiecta est sub vocabulo *vis,* circumscribitur quodam addito substantivo, ut Cic. De Legg. II, 6, 14. Quos imitatus Plato, videlicet hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis (Androhungen von Gewalt) cogere[5]); De Or. I, 35, 161. vim atque incitationem (gewaltigen Eindruck); I, 60, 255, II, 53, 213, Brut. I, 80, 276. vi et contentione (mit ange-

1) Cf. VI, 25, 11.

2) Cf. V, 45, 4. adeo nihil miseriti sunt, ut —; VII, 42, 7. adeo nihil praeterquam seditionem fuisse; VIII, 8, 2. adeo nihil apud Latinos dissonum ab Romana re praeter animos erat; XXV, 9, 7 adeo nihil ob id intenta cura est, ut contra —.

3) Cf. Liv. III, 7, 2. adeo nulla spes —; XXVI, 49, 3. adeo nullus mentiendi modus est.

4) Cf. Cic. Verr. II, I, 31, 78. ad vim atque ad arma; Or. pro Mil. 27, 73. vi et a; Liv. I, 21, 1. a vi et a.; XXXVIIII, 25, 5, ib. 26, 1, XXX, 23, 2, XXXXIII, 1, 1, XXXXV, 11, 10. vi atque a.

5) Cf. ib. 58, 247 minis et vi.

strengter Kraft); Ep. ad Fam. V, 2, 8. vi et impressione (durch gewaltsamen Angriff); De Or. I, 43, 195. cuius rei (patriae amoris) tanta vis est ac tanta natura (eine so gewaltige natürliche Kraft)[1]); De Legg. I, 22, 58. cuius praecepti tanta vis, tanta sententia est (ein so gewichtiger Sinn); De N. D. I, 16, 43. Cuius rationis vim atque utilitatem (nützlichen Einfluss)[2]); ib. II, 37, 93. vi et gravitate (Schwerkraft)[3]); De N. D. II, 60, 151. vim et celeritatem (Kraft der Schnelligkeit); De Off. I, 22, 76. vi manuque (mit gewaltsamer Hand)[4]); Liv. XXX, 33, 6. vi ac necessitate (durch Zwang der Nothwendigkeit)[5]); ex eodem genere sunt: Amicitia et societas, Liv. XXXXII, 25, 12. Tum se amicitiam et societatem renuntiasse; Liv. VII, 27, 2. et cum Carthaginiensibus legatis Romae foedus ictum quum amicitiam ac societatem petentes venissent[6]); spectator ac testis (Augenzeuge), Liv. XXI, 43, 17. Non ego illud parvi aestimo, milites, quod nemo vestrum est, cuius non ante oculos ipse saepe militare aliquod ediderim facinus; cui non idem ego virtutis spectator ac testis, notata temporibus locisque referre sua possim decora; — pro quo Cicero. (De Or. I, 24, 112) habet: testis ac spectator; — ars et praecepta (Regeln der Kunst, theoretische Regeln, Theorie), Cic. De Or. II, 11, 44. Sed non omnia, quae loquimur, mihi videntur ad artem et ad praecepta esse revocanda[7]); ars et doctrina (Kunsttheorie), Or. 48, 161.[8]); ardor et impetus (hitziger Angriff, Hitze des Angriffs), Liv. III, 18, 9. Prae ardore impetuque tantae rei sensus non pervenit ad militem: prius vicit, quam se pugnare sine duce sentiret[9]); error adolescentiaque (jugendliche Verirrung), Liv. XXXI, 11. Verminae quoque, Syphacis filii, legati per eos dies senatum adierunt, excusantes errorem adolescentiamque, et culpam omnem in fraudem Carthaginiensium avertentes[10]); varietas et copia (reiche Mannichfaltigkeit), Cic. De Or. I, 3, 9 et 19, 85: ubertas et copia (reiche Fülle), Tusc. Disp. II, 1, 3, De Or. I, 12, 50, Brut. 11, 44; voluntas atque iudicium, Par. V, 1, 34; voluntate ac iudicio (wohlüberlegter Wille), Ep. ad Att. I, 17, 3[11]);

---

1) Cf. De Div. I, 6, 12. 2) Cf. De Or. II, 57, 231. 3) Cf. In Q. Caecil. Div. 3, 8.

4) Cf. Verr. II, I, 27, 68; Or. Cat. I, 8, 21.

5) Cf. Cic. Or. pro Quint. 16, 51; De Fat. 17, 40.

6) Cf. VII, 31, 2; XXIIII, 13, 2, a. ac soc.; Cic. De Inv. II, 56, 169. amicitiarum ac societatum multitudo; XXIIII, 48, 2, XXVI, 24, 8, XXXI, 31, 20, a. s.que; XXXVI, 3, 8, XXXVIIII, 37, 10, soc. et a.; XXIII, 43, 11, XXXXII, 6, 8. soc. atque a.; XXXXII, 12, 8. societatibus atque amicitiis; VII, 29, 3 et 31, 9, XXIII, 43, 14, XXXII, 21, 4, XXXIII, 35, 5, XXXXII, 19, 6. soc. a.que. — pro quo satis raro invenitur amicitia foedusque, ut XXIII, 10, 3, vel amicitiae foedus, ut XXXXII, 12, 5.

7) Cf. II, 27, 119; Brut. 12, 46. 8) Cf. Ep. ad Fam. IIII, 4, 4.

9) Cf. XXX, 35, 8; Cic. de Fin. II, 19, 60. 10) Cf. III, 12, 8. 11) Cf. Verr. I, 4, 10.

certamen et discrimen (entscheidender Kampf, Entscheidungs-Kampf)[1]), De Div. I, 43, 95; honore iudicioque (ehrenvolles Urtheil)[2]), Tac. Agric. 43. — cui quod opponi possit, legitur apud Ciceronem Or. 3, 13. nec paucorum iudicium reprehensionemque (tadelndes Urtheil) pertimuit.

Quod ad §. 767 attinet, iam plures docuerunt, pronomina *hic* et *ille* ita usurpari, ut cum genitivo pro iterato substantivo posita videantur, velut Cic. pro Arch. poë. 11, 28. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae, qua quidem detracta, iudices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus[3])? et Or. Phil. V, 13, 35. Neque enim ullam mercedem tanta virtus praeter hanc laudis gloriaeque desiderat; et Brut. 21, 83. At oratio Laelii de collegiis non melior, quam de multis quam voles Scipionis, non quo illa Laelii quicquam sit dulcius; — quibus adde haec: De Or. III, 48, 184. Neque vero haec tam acrem curam diligentiamque desiderant, quam est illa poëtarum; In Caecil. Div. 11, 36. Cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima; Phil. VI, 5, 13. In foro L. Antonii statuam videmus, sicut illam Q. Tremuli, qui Hernicos devicit, ante Castoris[4]). — et Or. XXXII, 114. quod haec ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior; De Fin. V, 9, 23. Sic, exclusis sententiis reliquorum, quum praeterea nulla esse possit, haec antiquorum valeat, necesse est. — De Div. II, 49, 101. Non ignoro, inquam, Quinte, te semper ita sensisse, ut de ceteris divinandi generibus dubitares; ista duo, furoris et somnii, quae a libera mente fluere viderentur, probares[5]). — At qui de talibus egerunt locis, ita omnes esse comparatos concesserunt, ut pronomina illa suum significatum obtineant. Immo ita comparati sunt, ut genitivus fere potuerit abesse, nisi voluissent etiam accuratius scriptores id, de quo agitur, explicare, id quod maxime patet, ubi *ille* post interpositam demum cum pronomine relativo sententiam sequitur, ut Cic. De Orat. II, 24, 101. Ita dum inertiae vituperationem, quae maior est, contemnunt, assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis. — et Verr. II, IIII, 37, 81. quae cognatio studiorum et artium propemodum non minus est coniuncta, quam ista, qua vos delectamini, generis et nominis; — et ubi vere ille omissus est, cuius generis est, quod legitur De Off. III, 1, 11. Sed nec hoc otium cum Africani otio, nec

1) Cf. De Or. I, 1, 3.

2) Cf. Cic. Ep. ad Fam. I, 9, 14; et Liv. XXXXV, 23, 16. honoribus ac iudiciis.

3) Cf Stuerenb. ad h. l.

4) Cf. De his A. Sch. Z. 1828, 484, — 87; Billr. Lat. Schulgramm. 2te A. §. 239 A. 2. Prof. Reisig's Vorless. etc. N. 363. 5) Cf. Verr. II, I, 15, 40.

haec solitudo *cum illa* (sc. Africani) comparanda est. — Ceterum pro genitivo etiam alia potest subiici accuratior circumscriptio, ut Brut. 8, 31. Huius (Socratis) ex uberrimis sermonibus exstiterunt doctissimi viri: primumque tum philosophia non illa *de natura*, quae fuerat antiquior, sed haec, in qua de bonis rebus et malis deque hominum vita et moribus disputatur.

Is vero, cur ne possit quidem ita usurpari, hoc caussae est, quod illud pronomen, quod pro sua vi ac significatione habere debet, unde pendeat, non haberet in hoc genere loquendi, nisi ubi excipitur pronomine relativo, unde penderet[1]); ubi autem relativo pronomine excipitur, ipso hoc additamento accuratius fere illud circumscribitur, quam ut denuo subiiciatur genitivus; contra quum, quod sequitur, ab eo, qui verba facit, aut propius absit aut longius, quam illud, quod proxime antecedentibus continetur, alterum *hic*, alterum *ille* vel *iste* pronomina designant, quibus tamen, quia locus maxime vel respicitur vel respici cogitatur, insuper facile addi potest genitivus, quo accuratius quod agitur, circumscribatur. Neque obstat his, quod afferunt ex Cic. Or. in Pis. 18, 41. quum de me ea senatusconsulta absente facta sint, eae conciones habitae, is motus fuerit mancipiorum et coloniarum omnium, ea decreta publicanorum, *ea* collegiorum, *ea* denique generum ordinumque omnium, quae ego non modo optare nunquam auderem, sed cogitare non possem? — si quidem in anaphora pro toto, quod praecessit, pars facillime altera iteratur.

Ad evitandam vero, ut tandem ad illud accedam, quod hoc loco potissimum agere proposueram, substantivi iterandi necessitatem aut sermonis asperitatem effugiendam etiam aliud genus loquendi scriptores Latini adhibuerunt praeter ea, quae vel apud Zumptium vel apud reliquos commemorata sunt. Usurparunt enim vocem quandam vi ac notione cognatam. —

Cic. De Off. I, 32, 116. Quidam autem ad eas laudes, quas a patribus acceperunt, addunt aliquam suam, ut hic idem Africanus (Pauli filius) eloquentia cumulavit bellicam gloriam; quod idem fecit Timotheus, Canonis filius, qui quum belli laude non inferior fuisset, quam pater, ad eam *laudem* doctrinae et ingenii *gloriam* adiecit. — quamquam praecedentibus bello addixerat gloriam; Or. pro Mur. 3, 6. Ego autem has *partes* sanitatis et misericordiae, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter, illam vero gravitatis severitatisque *personam* non appetivi. Caes. B. C. III, 20 M. Coelius Rufus praetor *tribunal* suum iuxta C. Trebonii

1) Stuerenburg. l. l. ne is quidem pronomen excipit, sed locus scilicet, quo probetur illius similis usus, et apud illum desideratur, et apud ceteros, qui adhuc grammaticam linguae Latinae rationem persecuti sunt. Quare melius fecit Weissenborn. (Lat. Schulgr. §. 212.) quod pronomina demonstrativa tantum ita usurpari dixit.

praetoris urbani *sellam* collocavit. — ubi si quicquam possis dubitare, capite insequenti tribunal et ipsi C. Trebonio a scriptore datur; Liv. II, 33, 9. Tantumque sua *laude* obstitit *famae* consulis Marcius etc.; XXVI, 40, 5. Haec eius *gloria*, quia iam imperatoris quoque *famae* officiebat, postremo in invidiam vertit; XXIII, 12, 4. et tot acies ut hostium *exercitus* delesse, ita victoris etiam *copias* parte aliqua minuisse; XXIIII, 13, 3. In *potestate* iuniorum plebem, in *manu* plebis rem Tarentinam esse; X, 12, 4. Scipioni, segne *bellum* et simile prioris anni *militiae* exspectanti, hostes ad Volaterras instructo agmine obcucurrerunt; XXXIII, 16, 11. neque eo minus redeundum in *societatem* Philippi abnuendamque Romanorum *amicitiam* censerent[1]). Quamquam interdum aut subtilitatis aut concinnitatis aut elegantiae caussa cognata notione substantiva iis, quae praecedunt, respondent. Liv. XXII, 50, 1. Haec est *pugna* Cannensis, Alliensi *cladi* nobilitate par; XXIII, 8, 2. Eo Pacuvius Calavius — filium iuvenem adduxit, abstractum ab Decii Magii latere, cum quo ferocissime pro Romana *societate* adversus Punicum *foedus* steterat; XXIII, 10, 1. Postero die senatus frequens datus Hannibali. Ubi prima eius oratio perblanda ac benigna fuit, qua gratias egit Campanis, quod *amicitiam* suam Romanae *societati* praeposuissent; Cic. de Or. III, 30, 119. si qua in re discrepuit ab Antonii *divisione* nostra *partitio*[2]). — Quibus quidem locis quum facile per rationem grammaticam etiam abesse potuerit alterum substantivum, satis apparet, ne in illis quidem, ubi eiusdem certe notio iteranda esse videretur, temere alterum delegisse scriptores.

§. 779. *Etiam* post *tantum abest ut - ut* in eadem quoque structura verborum sequitur. Cic. Tusc. II, 2, 4. Sed tamen tantum abest, ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus; quod illis, quae afferuntur ex Tusc. V, 2, 6, non satis probatur, quia hoc loco *etiam* a neglectione demum ad vituperationem philosophiae gradationem indicat; ubi vero, mutata verborum structura, *etiam* aut *vix* subiicitur, parenthesis haud dubie statuenda est, quod vel illo loco, qui ex Brut. c. 80 est allatus, illustratur. Itaque (tantum abfuit ut inflammares nostros

1) Cf. Cic. De N. D. I, 16, 43; ib. 18, 48; Liv. XXXVI, 12, 2.

2) Cf. Liv. XXXXV, 26, 7; Cic. Brut. 51, 191. Sed ego, quae de me populi sit opinio, nescio; de reliquis hoc affirmo, qui vulgi opinione disertissimi habiti sint, eosdem intelligentium quoque iudicio fuisse probatissimos; — quibus conferendum est quod legitur ib. 49, 183. Semperne in oratore probando aut improbando vulgi iudicium cum intelligentium iudicio congruit? — et quod 53, 198. Ab utroque autem caussa perorata, si quaereretur, uter praestaret orator, nunquam profecto sapientis iudicium a iudicio vulgi discreparet. — ib. 51, 191. Poëma enim reconditum paucorum approbationem, oratio popularis assensum vulgi debet movere.

animos), somnum vix etc. — Quare etiam Ep. ad Att. XXIII, 21, et de Fin. II, 17, 54 et V, 20, 57 equidem statuo sic scribendum: (Tantum aberat, ut binos scriberent) vel singulos confecerunt. — Is enim, qui occultus et tectus dicitur (tantum abest, ut se indicet), perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto videatur. — Qua in vita (tantum abest ut voluptates consectentur) etiam curas, sollicitudines, vigilias perferunt. — *Potius* vero omittitur etiam in illis locutionibus idem prope sonantibus atque *t. a. ut-ut,* quae supra (ad §. 731.) tractatae sunt: *ita non-ut, adeo non-ut, adeo nihil-ut,* etc., in quibus item *etiam* quidem (Liv. XXX, 12, 2) et *contra* (XXV, 9, 7), atque adeo *contra etiam* (XXX, 34, 5) probatum fuisse videtur, minime vero *potius*[1]). —

§. 780. Putares, ubi legeris, quae hoc loco continentur, *si* omitti et tamen indicativum poni; at omnes, qui allati sunt loci, coniunctivum prae se ferunt, quod quidem genus sine controversia ita est explicandum, ut, si quid dicas subaudiendum esse, potius *ut* (gesetzt), quam *si* cogitatione supplendum sit. Verumtamen ne hoc quidem opus est, si quidem coniunctivus ille plane accommodatus est ad eius partes, qui aliquid factum esse aut fieri concedit, vel ponit, quod sane prope accedit ad eam vim, quae cernitur in propositione conditioni subiecta. Atque huc loci omnes a Zumptio allati praeter Verr. III, 97, 224 pertinent. His vero adiungendi certe fuerunt, si non praemittendi ii loci, ubi, si accuratius res examinatur, fieri quid velis a quopiam, vel secunda verbi persona alloquens, vel commemorans tertia. Cic. de Off. III, 19, 75. At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui revera non esset heres; in foro, mihi crede, saltaret; de Fin. IIII, 25, 69. Roges enim Aristonem, bonane ei videantur haec, vacuitas doloris, divitiae, voletudo? Neget. — De N. D. I, 21, 57. Roges me, qualem deorum naturam esse ducam; nihil fortasse respondeam. Quaeras, putemne talem esse, qualis modo a te sit exposita; nihil dicam mihi videri minus; — ib. 22, 60. Roges me, quid aut quale sit deus; auctore utar Simonide sqq. — Tusc. Disp. I, 22, 51. Haec reputent isti, qui negant, animum sine corpore se intelligere posse; videbunt, quem in ipso corpore intelligant. Verr. III, 97, 224. Negaret hac aestimatione se usum; vos id homini credidisse, non factum comprobasse videremini. — ubi vel illud *utinam,* quo inchoatur praecedens propositio, poterat veram explicandi viam commonstrare. Secunda vero persona quominus etiam magis frequentaretur hac ratione, videtur prohibuisse imperativus creberrime ita usurpatus, ut adiungeretur apodosis, non aliter ac si praecessisset sententia ex

1) Cf. maxime Cic. Ep. ad Fam. VII, 1, 10; de Fin. II, 20, 63; II, 7, 22; Liv. VIII, 7, 5; XXIII, 38, 6.

conditione pendens. Cic. De Fin. V, 28, 83. Concede nihil esse bonum, nisi quod honestum sit; concedendum est, in virtute sola positam esse beatam vitam. — Tusc. Disp. I, 11, 24. Evolve diligenter eius (Platonis) eum librum, qui est de animo; amplius quod desideres, nihil erit; I, 13, 30. Tolle hanc opinionem (mortuos orbatos esse vitae commodis); luctum sustuleris; II, 17, 40. Aniculae saepe inediam biduum aut triduum ferunt. Subduc cibum unum diem athletae; Iovem Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit; ferre non posse clamabit; IIII, 24, 53. Tracta definitiones fortitudinis; intelliges, eam stomacho non egere[1]). — quod genus locorum vel eo cognatum est cum iis, quibus quid ponitur tantum, quod perraro particula copulans intercedit[2]), nisi *iam*, qua *acceleratus* eventus significatur. Brut. 17, 68. Ipsa verba compone et quasi coagmenta: *iam* neminem antepones Catoni; Tusc. Disp. IIII, 24, 54. Remove perturbationes maximeque iracundiam: *iam* videbuntur (Stoici) monstra dicere; Top. 6, 29. Unum adde verbum, iure; *iam* a communitate res disiuncta videbitur; Verr. II, II, 62, 151. Da mihi hoc; *iam* tibi maximam partem defensionis praecideris[3]); — non secus atque post *si*, *quum*, *ut*, *ubi* particulas; De Off. III, 19, 76. At vero, si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, *iam* se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit, quibus possit; noceat nemini, nisi lacessitus iniuria[4]); Liv. XXXI, 1, 3. quum in mentem venit, tres et sexaginta annos — aeque multa volumina occupasse mihi, quam occuparint quadringenti octoginta octo anni a condita Urbe ad App. Claudium consulem; — *iam* provideo animo, velut qui proximis litori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur, quicquid progredior in vastiorem me altitudinem ac velut profundum invehi et crescere paene opus, quod prima quaeque perficiendo minui videbatur[5]).

At, quod caput est, poterat etiam indicativus quibusdam locis obtineri, ubi concitatus quidem magis est orationis cursus. Cic. Par. V, 2, 36. Poscit, dandum est; vocat, veniendum; eiicit, abeundum; minatur, extimescendum. — A. ad Her. IIII, 15, 21. Tacito quum opus est, clamas; ubi loqui convenit, obmutescis. *Ades*, abesse vis; *abes* reverti cupis. In pace bellum quaeritas, in bello pacem desideras; — ubi non magis de interrogatione cogitandum esse, quam illis locis, qui coniunctivum exhibent, et ea, quae praecedunt, et, quae sequuntur, verba docent, quae utraque conditionis propositae quandam similitudinem continent. Nam

1) Cf. Or. 48, 159. consule sqq.; De Or. II, 30, 132. Hoc tolle sqq.

2) Cf. A. ad Her. IIII, 29, 39. dicite atque obtemperabo. — ubi convenientia temporis designatur.

3) Cf. ib. V, 65, 168 in. 4) Cf. Or. Cat. I, 8, 21.

5) Cf. XXVIIII, 27, 8; VI, 32, 8; Cic. Verr. II, III, 94, 220.

etiam illud *in pace* etc. idem prope valet quod *quum* vel *si pax est* etc.; Rosc. Am. 20, 55. Innocens est quispiam, verumtamen quamquam abest a culpa, suspicione tamen non caret[1]).

§. 811. Desiderantur loci, quibus reliqui casus exhibeantur praemissi vel singuli vel cum nominativo coniuncti, cuius generis sunt haec: Cic. Brut. 67, 238. *Huius* si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, maius nomen in patronis fuisset; Liv. I, 34, 4. *Lucumoni* contra, omnium *heredi* bonorum, quum divitiae iam animos fecissent, auxit ducta in matrimonium Tanaquil; Cic. Tusc. Disp. V, 34, 97. *Cui* quum peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius; Liv. 45, 11, 8. *His* quum laetari Antiochum conveniens esset, — adeo est offensus, ut multo acrius infestiusque adversus duos, quam ante adversus unum pararet bellum; Cic. De N. D. II, 49, 125. Milvo est quoddam bellum quasi naturale cum corvo; ergo *alter alterius*, ubicunque nactus est ova, frangit; De Rep. II, 20, 36. *Idemque Sabinos* quum a moenibus urbis repulisset, equitatu fudit belloque devicit; De N. D. II, 51, 129. etsi *pisces*, ut aiunt, *ova*, quum genuerunt, relinquunt. — Inde vero vix illud fuit hoc loco praetermittendum, saepissime temporis, loci, aliarumque rerum, quae quidem non magis ad protasin, quam ad apodosin pertineant, praesertim per ablativos absolutos, quos dicunt, designationibus quum ceteros scriptores, tum vero Ciceronem ordiri non tantum longiores verborum complexiones, quas sane saepius rerum scriptores onerant pluribus praemissis[2]), verum etiam breviores sententias. Cic. de Or. II, 68, 276. *Paucis post diebus* quum ad Nasicam venisset Ennius et eum a ianua quaereret; exclamat Nasica, se domi non esse; Or. pro Mil. 15, 40. *Nuper* vero quum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset gravissimamque adolescens nobilissimus reipublicae partem fortissime suscepisset atque illam belluam iudicii laqueos declinantem iam irretitam teneret; qui locus, quod tempus illud, dii immortales fuit; De Or. I, 39, 178. *Quid? Nuper* quum ego C. Sergii Auratae contra hunc nostrum Antonium iudicio privato caussam defenderem; nonne omnis nostra in iure versata defensio est? Liv. XXII, 14, 11. *Quid? post multos annos*, quum ad Furculas Caudinas ab Samnite hoste sub iugum missi sumus, utrum tandem L. Papirius Cursor iuga Samnii perlustrando, an Luceriam premendo obsidendoque et lacessendo victorem hostem depulsum ab Romanis cervicibus iugum

1) Cf. Par. VI, 1, 44. Filiam quis habet sqq.
2) Cf. §. 817.

superbo Samniti imposuit[1])? — Cic. De Off. III, 9, 28. *Ibi* (in concilio pastorum) quum palam eius annuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; De Or. III, 1, 2. *Ibi* quum Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam graviter in concione esset invectus[2]). De Or. I, 57, 245. Et, credo, *in illa militis caussa*, si tu aut heredem aut militem defendisses, ad Hostilianas te actiones, non ad tuam vim et oratoriam facultatem contulisses? De Fin. V, 28, 83. *In geometria* prima si dederis, danda sunt omnia; — Brut. 50, 189. Quid? *Adolescentibus nobis*, quum esset Cotta et Hortensius, num quis, cui quidem eligendi potestas esset, quemquam his anteponebat? [3]) — Atque etiam talia, vel cum nominum casibus communiter ad utramque sententiam referendis, vel cum aliis eiusdem generis adiunctis simul praemissa reperiri, qui demonstrent loci, facile se offerunt. Cic. De Inv. I, 1, 1. *Crotoniatae quondam* quum florerent omnibus copiis et in Italia cum primis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt; De Off. I, 13, 39. Atque etiam, si quid singuli temporibus adducti hosti promiserint, est in eo ipso fides conservanda, ut *primo Punico bello Regulus* captus a Poenis, quum de captivis commutandis Romam missus esset, iurassetque se rediturum, primum, ut venit, captivos reddendos in senatu non censuit; deinde, quum retineretur a propinquis et amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere[4]); Acad. pr. II, 28, 89. Quid? *apud Euripidem Hercules*, quum, ut Eurysthei filios, ita suos configebat sagittis; quum uxorem interimebat, quum conabatur etiam patrem; non perinde movebatur, ut veris moveretur? Tusc. Disp. V, 34, 97. *Darius in fuga*, quum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam se bibisse iucundius; Liv. XXV, 15, 10. *Divisis copiis inter se, duces Poeni* quum agrum Thurinum ingressi essent, *Hanno* cum peditum agmine infestis signis ire ad urbem pergit; *Mago* cum

---

1) Cf. Cic. In Q. Caec. Div. 20, 64. nuper quum sqq.; Or. pro Mil. 10, 27. Interim quum —; Brut. 22, 87. Interim quum —; Tusc. Disp. 5, 29, 71. et paucis ante diebus, quum facile posset, educi e custodia noluit; V, 4, 11, quinto autem die quum —; De Rep. II, 35, 60. Sed aliquot ante annis quum —; De Legg. II, 25, 64. postea quum —; De Div. I, 24, 51. Post triennium autem quum —; Liv. XXVIII, 36, 13. Postero die quum —; XXV, 2, 1. principio eius anni quum —.

2) Cf. De N. D. I, 28, 79. Athenis quum essem —; Liv. XXXVIIII, 25, 1. Ibi quum —; XXXII, 20, 1. ubi quum —.

3) Cf. Liv. IIII, 47, 4. castris direptis quum sqq.; VI, 25, 5. Introductis in senatum captivis quum —.

4) Cf. Tusc. Disp. I, 2, 4. Themistoclesque aliquot ante annis, quum —; Liv. XXV, 21, 2. Nocte insequenti Hannibal, quum —.

equitatu, tectus collibus, ad tegendas insidias obpositis, substitit[1]). — Quamquam minime nego equidem, propter illam consuetudinem initio collocari enuntiatorum quorumque ea quoque adiuncta, quae unice ad protasin pertinent, ubicunque illorum maiorem quandam vim esse ipsa collocatione significandum est. Cic. De Fin. III, 2, 7. *Nam in Tusculano* quum essem vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, veni in eius villam, ut eos ipse, ut solebam, inde promerem; Liv. XXII, 50, 4. *Binis in castris* quum multitudo semiermis sine ducibus esset, nuntium qui in maioribus erant, mittunt sqq. Cic. De Legg. II, 25, 63. Funera Athenis sequebantur epulae, quas inibant propinqui coronati; *apud quas de mortui laude* quum erat praedicatum, iusta confecta erant. —

Haec, magna ex parte per muneris scholastici opportunitatem collecta, habui, quae in medium proferre minus quidem dubitarem, quam ex eodem genere foras dare quaedam, in quibus pertractandis, si vellem reprehensionem effugere, plus utique temporis consumendum esset, quam nunc consumere licuit. —

1) Cf. De N. D. II, 2, 6. ut et apud Regillum bello Latinorum quum etc. — et: post a Paullo litteris allatis, quum sqq.; Acad. pr. I, 1, 1. In Cumano nuper quum sqq.